Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
Research Library, The Getty Research Institute

http://www.archive.org/details/adresponsumflore00mena

Tarot
(Rosicrucian)
7-1
Book No 11

ΑΝΤΙΚΡΙΣΙΣ

Ad Responsum

FLORENTINI DE VALENTIA:

Das ist:

Kurtze Duplic vnnd Defension, auff die Widerantwort / Replic, oder Confutation der Missiven von F. G. Menapio, vnlangst an die Rosencreutzer abgangen:

Gestellt zu seiner verwarung von gedachtem F. G. wider besagten Florentinum, vnd guter meynung ans Liecht geben.

Felix ille animi, diuiq; simillimus ipsis,
Quem non mendaci resplendens gloria fuco
Sollicitat, non fastosi mala gaudia luxus:
Sed tacitos finit ire dies, & paupere cultu
Exigit innocua tranquilla silentia vita.

M D C XIIX.

Αντίκρισις

Ad Responsum

FLORENTINI DE VALENTIA.

LAdislaus Ungariæ Rex, & Austriæ Dux, quondam invisens Vratislaviam, nobilem urbem, & Silesiæ caput, cum sacris interesset in æde Pontificali, frequentesq; Principes convenissent, & Podiebracius, Vir rei militaris peritia, rebusq; strenuè gestis insignis Regi proximus astaret, fama est, Chilianum quendam, ex his, qui stultitiam simulantes, alios stultos faciunt, Podiebratium ita compellasse: Quo vultu sacra nostra respicias, planè adverto: animum non intueor. Fare, obsecro, nonne satis nitida tibi videtur nostra religio? Vides ne, quam multi, & magni Principes, & ipse Rex noster unum ritùm observent? Cur non his potius, quam Rechezanæ Hussitico consentis? an plus sapere paucos Bohemos arbitraris, quam reliquam Christi Ecclesiam? Quin relicta incondita plebe nobilitati te junge. Ad hæc Po-

diebratius, si tua sunt verba, inquit, non es, quem simulas, & tibi tanquàm prudenti respondebo: Sin aliena sunt, satisfacere me illis oportet, à quibus edoctus es. Audi ergo: Ecclesiasticas ceremonias sua quisq; pro fide gerit. Sacrificia ea facimus, quæ credimus Deo grata. Neq; nostri arbitrii est, credere quid velimus. Victa magnis rationibus mens humana, volens, nolensq; capitur, utq; natura instituta est, altera facilè trahitur, altera elabitur. Mihi persuasa est meorum sacerdotum religio. Si tuam sequar; homines fortasè fallam, animæ meæ cõtrarius: Deum, qui corda inspicit, nequèo fallere. Neq; me tui similem esse decet. Aliud histrioni, aliud verò nobili convenit. Hæc vel tibi habeto, si sapis, vel his referto, qui te submisêre.

Non multùm absimili nec modo, nec formulâ nunc mihi tecum, mi Florentine, agendum est. Nam si tua sunt verba, quibus ad meas Epistolas respondisti, doctior es, quam videri vis & tibi tanquam eruditissimo, & humanissimo respondeo: sin Fraternitatis verba sunt, cujus te chentem esse profiteris, satisfa-

cere

cere me istæ oportet. Audi Ergo: Adest mihi abs te fæcialis cum patre patrato, non qui mihi imposterum ἄσπονδον πόλεμον denuncient, sed favorem, gratiam, amicitiam, & bona consilia. Primùm omnium gratulor tuæ felicitati, cui tum vacet, tùm liceat perfectissimis illis Doctoribus uti, nec deinceps te non amabo, cum mei curam habeas, & mihi læta omnia, atq; prospera esse cupias,

Ita verò tibi respondebo, si prius abs te adhibita stipulatione impetiem, ut mihi fidem habeas, me persuasum habere, quidquid abs te scribitur, ab amico, & sincero pectore proficisci, utq; idem tibi de me persuadeas, καὶ τὸν φίλιον, ὁμόσαντι fidas, si parum fidis injurato. Etenim nunquam Ego quidquàm affirmatè de Fratribus Roseæ Crucis pronuciavi, sed varias meas cogitationes protuli, quod idem fecit Vitus del capo de la bona speranza, nec propterea peccavit. Et quod tu fortassè moniturus eras, si mihi ad manus fuisses, cum scriberem, ut moderatius, ut parcius agerem, id ipse me maximè tùm admonebam. Neq; enim tam impotendi sum ingenio, quàm tu

me facis: neq; id temporis tam animo commotus eram, quàm tu imaginaris. Mœrens ſcripſi, non iratus aut indignabundus, & ſi quid durius dolor excuſsit factum eſt, ut tandem aliquando ſcirem, qui eſſent iſti, qui omnia poſſunt. λύπαι γὰρ ἀνθρώποισι πάλλουσι νόσους. Nam cur non indoleam, & diſcrucier, quod hujusq; cœcus cœcos ductores habui? & omnino mentirer, ſi dicerem, me non delectari Fraternitatis ſcribtis, a qua nil adeò neglectum proficiſcitur, quod multorum quantalibet curà poſsit æquare: quorum ſermonis torrens aliorum expergefacit ſomnolentiam: pelagus ſcientiæ notitiam tribuit: ardor frigus acuit: copia nusquam non exuberans jejunam exilitatem emendat, atq; caſtigat. Poſtremò cum præcipua vitæ voluptas ſit, vacuas horas cum fidelibus monitoribus transmittere, quid poſsit accidere jucundius quam cum hujusmodi etiam abſentibus confabulari, quos ad mortalium ſalutem, & beatam vitam nihil latet? Saltem quod nos tamdiu in ſuſpenſo tenent. vel cordatiorem ad impatientiam commoverint,

Porrò

Porrò quod mihi præceptum de Paracelso das, puta, de mortuis nil nisi benè loquendum esse: idem ne in Simone Mago, Juda Iscariote, Nerone, Caligula, Domitiano, Juliano Apostata, Dracula Walacho, Basilide Moscovita &c. observari vis? Sed & hîc nimis serò venis, & consilium suggeris post jactam abeam. An ut Epimeteus quispiam jam peracto negotio mones ne suscipiatur negotiũ, & eversa Troja doces non fuisse rapiendam Helenam? Quid mecum optes video, quid admoneos, non satis intelligo: nisi fortè objurgationem appelles admonitionem. At si objurgas, sine causa objurgas; quandoquidem virorum testimoniis usus sum, quos mendacii insimulare non audeo: sin mones, serò mones. Nec etiam nunc ad manus mihi illius libri sunt, ut in rem præsentem paulisper eamus: omninoq; esse potest, ut Christianè scribserit, impiè vixerit: qualis de Cicerone cicumfertur sententia, eum scribsisse ut Philosophum, vixisse ut hominem. Illud modò ex te audire velim, quibus Historiis comprobetur, in Arabia civitatem Damcar à solis sapientibus

habitatam fuisse, à quibus Fraternitatis primus Author naturæ arcana didicerit, iisq; instructus Fessam se contulerit, ibiq; similem Philosophorum societatem invenerit quæ cum Arabibus optimè congrueret. Nam si ita est, mirum mihi est, Reges Fessæ sæpenumero maximas clades perpessos, cum iis tutis, & incolumibus per suos omniscios, & omnipotétes subditos Philosophos esse licuisset. Sed magis miror, me in nullo nec veteri nec recentiore Africæ scribtore, Pomponio Mela, Columna, Volaterrano, Stöflero, Münstero, Ortelio, Bertio, Aubano Boëmo, Corano, Cælio Curione, Haythone Armeno, Romano Patricio &c. hac de re quidquam reperire, aut legere; quos aliàs diligentissimè nobilissimam illam partem, Barbariam nostris vocatam, in quatuor regna divisisse, & singularum provinciarum, ac civitatum instituta, mores, incolas, artificia, mercaturam exactissimè scribtis suis consignasse animadverto: inter quos Johannes Leo recensendus est, qui eos, qui in urbibus degunt, in inventione Mathematica, & Architectura dexterrimos esse ait, validissimos,

disſimos. atq; robuſtiſsimos, fidei omnium obſervantiſsimos, ſimplicitatem atq; veritatem non amplectentes modò, ſed & re ipſa comprobantes: de reliquis magnalibus. atq; myſteriis altum ubiq; ſilentium: niſi quod ruricolas ea morum ruditate eſſe fatetur, ut vix exteros quispiam eorum amicitiam ſibi conciliare poſsit. Ea inſuper pigritie, & fatuitate, ut plus ſatis fidei etiam impoſsibilia referentibus adhibeant: Phyſicæ autem Philoſophiæ tam ignaros, ut omnes naturæ operationes pro divinis habeant. At verò de me mediocriter ſemper ſenſi, nec unquàm animus fuit adverſus juſtitiam depugnare, unicumq; illud ſpectavi, ut quibuscunq; modis poſſem etiam ab invitis reſponſum aliquod, ſed ſolidum, non tumultuariũ obtinerem. Tantus eſt innatus in nobis cognitionis amor, & ſcientiæ, ut nemo dubitare queat, quin ad eas res hominum natura nullo emolumento invitata rapiatur. Videmus ne ut pueri ne verberib⁹ quidem à contemplandis rebus, perquirentisq; deterreantur? ut pulſi requirant, & aliquid ſe ſcire gaudeant? & aliis narrare geſtiant?

A v ut pompa,

ut pompa, ludis, atq; ejusmodi spectaculis teneantur, ob eamq; rem vel famem, & sitim perferant?

Proinde, mi Florentine, noli suffenum aliquē ex me facere, qui, domestico teste saltem, aliquid valeat: nunquam fuit φίλαυτος seu αὐτάρεσκος, nisi forte joco dixeris. Jam ut non illibenter largiar, me non minꝰ literis, quam fortunis inferiorē Florentino: ita eruditio tua, non opes, Musa, non Rhamnusia me tibi imposterum devinciet. Quanquam autem nil addubitem, quin fortunas quoq; suas non uni sibi, sed amicis etiam Fraternitas possideat, tamen è chartis ejus si quid literarum reconditarum Studiosis communicaverint, suo tempore ditescere aveo, quibus nil diminuit vel in universum genus humanum, vel paucos duntaxat benignitas, è scriniis nummariis nil adhuc ambii, nil decerpsi. Nec tenuis haberi debet, qui sua sorte contentus est. πλεονεξία contra, sivè φιλαργυρία μέγιστον ἀνθρώπῃς κακόν. Idcirco etiam minus de auro, & gemmis, quæ in fortalitio nobis promittit vester Alverda, solicitus sum, nisi quantum animi, & tem-

poris

poris fallendi gratiâ cum otiosus fuero, probabo, & experiar. Te verò puto lusibus tuis laconicis, licèt non usq; ad magna vulnera, tuberaq; progrediantur, tolerantiam me docere noluisse: vide ne quis istud causetur vel parùm modestum ab homine, Humilitatis Magistro, & ordinis benedicti minimo servo vel intempestivum in hominem, quem non nosti, virum tamen senem, cum cruentus ille Lycurgi lusus juventutem duntaxat exerceret Omnino enim in nomine meo erras & amicum pro amico ponis, qui mihi te monstravit, cum ante sesquiannum Segoduni, vitam agerem Nec unquám etiam patriam suppresi, tametsi tu veterùm Geographorum ignarus nescio quid de Menapio Philosopheris: quales olim appellati sunt populi ad utramq; Rheni ripam habitantes, proximi Ubiis, Eburonibus, & Sicambris. Usq; adeo autem in inferiori Germaniâ Franciscus Gometz notus est ut frustra alter, de quo tu perperam divinas, nomen suum, etiamsi vellet, posset substituere.

Quid

Quid verò illud esse dicam, quod me Menippi Philosophi Cynici discipulum aliquem esse non sine morsu auguraris, & exaras: quem constat conditione servum fuisse, & nil memoriâ magnoperè dignum reliquisse præter Nænias aliquot testamenta, & Epistolas, & id genus nugas crebris salibus, Cynicaq; mordacitate refertas. Profectò periculum est, ne cui veniat in mentem, ut simile quiddam jaciat in te, quale celebratur Platonis in Diogenem. Is cum calcitrasset culcitram Platonis, ait, se Platonis fastum calcare. Calcas, inquit Plato, sed alio fastu. Verendum igitur est, ne quis animadvertens iracundis, & Pomposis literis tuis meam castigari iracundiam, seu impotentiam, tibi dicat itidem: Objurgas iracundiam, insolentiam, sed alia iracundiâ, insolentiâ. Cæterum agis iracundum, non irasceris. Ut agas, certè nimirum scite agis, quemadmodum Ajacem egit Lucianus ille ludio, qui inter agendum uni, atq; alteri caput comminuit non sine metu cæterorum Sed ille personatus agebat, tu nuda facie agis, nisi autumas, me te non nosse: Quod si vultum ista-

tum ista loquentis, aut scribentis cerneret aliquis, fortasis intelligeret sævitiam verborum merum esse phantasma. Nunc lector vultum scribentis non cernit, animum ex verbis æstimat. Sed hæc aliàs: scribtionis tuæ series mihi pertexenda est ἐπὶ καιρῷ, καὶ ἀπαθῆ.

Ais, multa nondum reperta esse: multa interiisse. Ergo illa Roseæ Crucis Fraternitas nobis dabit, restituet, revocabit? Utinam mox fieret. Interea liceat mihi de hac rerum omnium conversione Johannis Bodini judicium, ac censuram attendere, qui nemini dubium esse posse inquit in eam rem penitus intuenti, quin invenda nostrorum cum majorum inventis conferri, pleraq; debeant anteferri. Quinimò verè Pancirolus censuit, mutationes istas Dei optimi Max. voluntate fieri. Nam cum ita ordinarit, ut omnia Lunæ globo subjacentia moriantur alia vero rursum subnascantur: voluit certè, species, & artes nonnullas amplius non reperiri: attamen alias de novo in lucem produci: idq; eam ob causam, ut præter alias admonitiones complures, etiam hac ratione finem præsentis vitæ contem-

contemplemur, & majori cum diligētia ad æternam illam aspiremus. Nec propterea uti opinaris, mobile perpetuum nondum confectum est. Nam vidi Ego opus Cornelii Dreppel, de quo, si tu vis legere potes Emanuelem Metteranum in Historia Belgicâ & disputationes Chymicas Johannis Hartmanni, Professoris & Mathematici Marpurgensis. Planè quam primum deperditarum rerum aliquid quod antiquitus quidē in usu fuit, nunc verò planè ignoratur, per vos mihi cernere concedetur, fatebor publicè et siamsi me totum, quantus sum, pignori opposuero, aut etiam capitis auctionem fecero, nulla tamen ex parte me solvendo esse posse. Imprimis illud expressius cognoscere cuperem, quibus hactenus Fraternitas profuisset, quos morbos propulsesset? Non enim memini me huc & illuc vocatione mea sic exigente proficiscentem ejusmodi quid in audivisse hactenus. Alios Medicos novi familiariter in arte Principes, fide rara & penè incredibili, curâ & solicitudine plusquam paterna, humanitate admirabili: quibus in conjectando nihil solertius, in judicando nihil

do nihil acrius, certiusq;, in pronunciando nihil modestius, sed Fraternitati inimicissimis: Principes tamen Viri professi sunt instrumentis desuper cõfectis, se, quid debeant illis, videre, verùm ubi de referenda gratia incipiant cogitare, tùm verò rationem accepti, atq; expensi neutiquam convenire. Nil dico te Scholasticis Veteribus, quos ad unum omnes rejicit Fraternitas, Gennadio, Cæsario Lirinensi, Smaragdo, Rabano, Abategnio, Scoto, Aquinate, Ivone, Alexandro ab Ales, Gersone, Gratiano, Lombardo, Comestore, Cluniacensi, Alliaco &c: nil de Rabbinis, Rabban Schimeon, Rabbã Gamliel, Jehuda Hannasi, Hillel Hannasi, Raf Scherira, Rabbenu Ascher, Rabbenu Jaakof, Rabbi Leviben Gerschon &c: qui multa viderunt in hac naturæ obscuritate, & Philosophiæ subtilitate, quæ fortassè ipsum Aristotelem latere potuissent.

Ita frustra laboras, Sympathia tuâ decantatâ pleraq; astruere, & firmare: Nam ματαιότης ματαιοτήτων, καὶ πάντα ματαιότης: non ut prodigiosis naturæ miraculis fidem non habeam, quod esset modo quodam

quodam totam Philoſophiam abolere ut Matthiolus docuit; ſed ut ibi dubitandi maneat exordium, hoc eſt, Philoſophandi, ubi nos cauſæ ratio deficit. At verò multa in intimis penetralib⁹ naturæ delitеſcunt, multa, ut Plinius loquitur in Naturæ Majeſtate latent, quæ nec ratio ulla, nec humanus intellectus comprehendere poteſt. Voluit enim natura hæc potius admirari homines, quam à quoquam intelligi. Quare qui ſcrupuloſiùs in perveſtigandis ſingulorum rationibus verſantur, ex omnibus naturæ miracula ſubmonent. Cui hoc conſequens eſt, non ſufficere Sympathias, vel antipathias allegare, ſed oſtendere, quomodo omnium rerum Sympathias, & antipathias, mediate, an immediate? perſpectas quis habeat, ut ipſe aliquid miraculosè operetur. Nam uſq; ad aliquid ſaltem homo ſcit, principia à ſenſibus deſumens: quando verò ad ipſa prima tranſierimus non amplius poſſumus ſcire, vel quia non habemus cauſam, vel propter intellectus noſtri deficientiam. Summa: ſine ſenſibus nihil eſt, unde Phyſicæ demonſtrationis initium duca-

ducamus Hi enim singularia colligunt, unde scientias extruere necesse est. Sed si à Deo Fraternitatem edoctam esse contendis, quemadmodum memoriæ proditum est, S. Hildegardin, Abbatissam Cænobii Bingensis, cum Latini sermonis ignara esset, revelante Spiritu sancto omnia latinè dictasse notariis excipientibus: Da demonstrandi.

Zu Fördern möchte ich gern von dir hören/ wie du die Meuß-intrata zu Wetzlar so natürlich/ vnd leicht vorkompt/ wie duß practiciren wolltest. Mich bedünckt es seye ein gleicher händel/ als ich gelesen hab/ quod Saltzburgi incantatori cuidam acciderit, qui jactabat, se omnes in vicinia ad miliare Serpentes posse in unam perducere foveam, & interimere: quod cum tentasset, tandem antiquus, & ingens proserpit Serpens, quem cum carmine in foveam compellere interetur, ille exiliens incantatorem velut cingulum amplectitur, trahitq; in foveam, & enecat. Item weil du den Trithemium so Engelrein machen wilt/ wie verstehest du diese seine werck: Hi autem Spiritus pernitiosissimi sunt, & nequam. Odio quam maxi-

me habent lucem, tenebras diligunt. Forti adjurationem opus est, ut ad necessaria nostra cogantur. Quod si in his adjurandis territus pauxillum trepitaveris, aut in explenda adjuratione, sine vocabuli omissionem, sive seriei immutationem aberraveris, te illicò interficient. Hos tam in vindictam paratos, quis adeo erit mente captus, ut bonos clementesq; spiritus esse probet? Vidi in eo opere, ait Bovillus, adjurationes non nullas, quas vocat potentes, quibus possit unusquisq;, qui assiduè cupit uti spirituum ministerio, alligare apud se Spiritum, ac cogere, ut in ejus domo maneat semper, eiq; in cunctis famuletur. Ceterùm in semotissimo ut scribit Trithemius, à turba loco is Spiritus locandus est, ne temerè ad se ingredientes interimat. Huc referendum est, quod cuidam ad laqueum damnato Venetiis omnes patefactæ fuerint fores disjectis eris una tantùm admoda herba, signaculis quibusdam decantata. At si vis ea inest herbis, quorsum admurmurantur cantilenæ, aut adhibentur signacula? Vel si virtutem hanc obtineant cantilenæ, & signacula,

nacula, cur advocantur herbæ? si simul conjuncta hanc efficaciam sortiri dicas meram esse superstitionem contra objicio. Rerum alioqui naturalium miraculis uti nihil derogatum volo, ita ejusmodi cantiunculis, & signaculis nil penitus tribuendum esse liberè profiteor. Cum autem herbæ illæ non operentur nisi cantionibus, & signaculis applicatis, consequens est iis etiam nil ejusdem virtutis adesse Si effectum subsequi respondes: contingit is profecto Dæmonis operâ colludensis ratione signaculi vel cantilenæ, ut talibus ludibriis incautos alliget strictius cautiusq; fallat, nec ullo modo juvet. Exclamare liceat hîc cum Plinio, non satius fuisset Æmilianum Scipionem Carthaginis portas herbâ patefacere, quam machinis claustra per tot annos quærere? Exclamare liceat cum Wiero, quid tam gravibus se onerant sumptibus nostri Christiani Principes in effringendis oppidorum portis tanto ponderosorum globorum infernalis pulveris potentia excussorum numero? cum etiam apud Acherontem investigare erubescerent neutiquam, si quid in

hunc usum posse acquiri judicarent.

Perfectionem Fratrum quod attinet, longa manu tradis multa, sed brevi pauca. At non replenda est curia verbis, res ipsa clamat, vos professione Theologos non esse, ut aliis S. Scripturam interpretemini. Et si estis, exhibete mihi vestram vocationem, & indicate, quis res miserit. Neq; hactenus scivi, Theologorum quoq; munus esse, ut mundanas artes inculcent: in ea hæsi sententia, debere illos in corruptam Legis, & Evangelii doctrinam propagare, & promissionem de gratuita remissione peccatorum, de reconciliatione, & hæreditate vitæ æternæ donandæ per fidem in Filium Mediatorem prædicare. Sed qualem tu Theologum agas, perspici potest ex argumento, quod formas: Der Prophet Joel sagt im andern Capitel: Vnd nach diesem wil ich meinen Geist außgiessen über alles Fleisch / vnd euere Söhn evnd Töchter sollen Weissagen / euere Eltisten sollen treum haben: c. Ergo werden die Creutzbrüder vor dem Jüngsten tag zu einer solchen volkommenheit aller Himlischer vnd Irdischer Wissenschafft kommen / als vnser erster Vatter im Paradeiß gehabt

gehabt hat. Fürwar D. Luther legt diese wort anders auß/nämlich/daß das Levitische Priesterthumb auß sein werde/wann allerley stände sollen zum Predigampt kommen/das gantze Capitel aber seye eine Beschreibung vom Reich Christi/vnnd sendung deß H. Geists/darneben von den greulichen straffen/so über das Volck Israel kommen werden/vnd wo sie sich bekehren/wolle sie der HErr zu Gnaden annemmen. Talis itaq; tuus Syllogismus est, qualem Baldus alicubi protulit, Judicem posse sententiam ferrè Hebraicè, Græcè, & Latinè; quia crucis Dominicæ inscriptio Hebraica, Græca, & Latina fuerit. Verùm enimvero, licet non me fugiat inter vos esse probra, φθόρες αργυρέων, qui bona sua comederint, & nunc verba sine penu, & pecunia loquantur, faciam tamen, quod suades, & expectabo patienter ὁ τέλος καὶ τὴν καταστροφὴν τοῦ δράματος. Saltem relinquite nobis Ethnicorum scripta, in quibus, quod ad alteram divinæ legis tabulam pertinet, verè copiosissima, & pulcherrima tradiderunt præcepta. Ridiculi enim sunt, reiq; Christianæ prorsus ignari, qui putent, Christum in mundum venisse, ut no-

vam ferret legem, cum, quod ad legem attinet à Christo nil dictum sit, quod non dictum sit prius, & ab aliquot Gentium scriptoribus, & legis interpretem Christus agat potiùs, quam legislatorem. Causam verò adventus Christi Sacræ literæ aliam, & longè quidem graviorem edunt. Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Non igitur missus est à Patre Christus ut legislator, sed ut credentibus in ipsum remittat peccata, & det S S. per quem in novitate vitæ ambulent.

Sed quis Genius mihi aurem vellit? Puderet me, ita mihi salus sit, in constantiæ meorum verborum, mi Florentine, si non ex aliena levitate penderent. Nam qua re suprà non mediocriter gavisus sum, licet tu vix credes, tantùm videlicet te præsidii, tantum opis attulisse extremis penè temporibus Fraternitati, cujus scribta soleo libenter legere, nec sine tuo meritò; quandoquidem qui maledicit, & vituperat, quando id acerbius facit, eò magis pro iniquo, & inimico ducitur, &

plerunq;

plerunq; propterea fide destituitur, sed qui infœcundè, & jejunè laudat, destitui à causa videtur, & amicus quidem ejus esse putatur, quem laudare vult, sed nihil posse reperire quod jure laudet; tu sanè non jejunè, non frigidè defendisti, etiam contra accusatorem, quem laudatum virum esse ipse fateri cogeris: ita nunc, cum magnificas vestras promissiones à fronte pariter, atq; a tergo contemplor ἐξ ἐναντίας, καὶ ὄπισθεν, video, ac ingemisco illas ad me non solùm nullo modo pertinere, sed etiam penitus evanescere, & in nihilum recidere. Etenim tacebo, nos sub diversis Planetis natos esse, & convenire non posse in omnibus nisi fortè astris suam vim detrahas, quam nostri Medici non respuunt, eiusq; testis est Gaspar Torella, quem legi in tractatu de Pudendagra scribentem Astrologos dicere morbum Gallicum evenire à constellatione corporum superiorum, puta Saturno existente in Ariete. Multo minus meam litem faciam, quod ineptè & ἀφιλοσόφως tuus Vitus de la bona speranza carpit, quasi duplicem veritatem Philosophi comminiscantur: Wecher

wann er so ein guter Rosencreutzer ist / als Sinnreich / Artig / vnd Künstlich das Epigramma lautet / so er vor seine Defension hat jetzen lassen / muß er gewißlich nit schlecht sein vnd außbündige / stattliche Poeten in euer Gesellschafft geben. Me quidem non præterit, veritatem esse in quinduplici gradu, vel ordine, in ente, mente, sermone, mente & sermone, in ente, mente, & sermone simul. Imprimis utrum veritas de Deo & creaturis univocè, an æquivocè, an deniq; analogicè prædicetur; item, an aliquid possit esse rerum in Philosophia, quod falsum sit in Theologia, & contra, dudum ex Metaphysicis didici. Et aliàs in propatulo est quæstiones singulas in disciplinis singulis ex principiis non ἀλλοτρίοις, sed οἰκείοις vel confirmandas vel refutandas esse. Similiter huius loci non est tractare, quæ tu obiter, & quasi per indicem hinc inde de Disciplinis tetigisti, cum animus mihi non sit, Encyclopædiam adornare, nec tu de mea scientia in Chymicis ambigere debebas, qui tot Scribtores Alchymiæ ingentibus sumptibus comparatos asservem, & modernos, & antiquos, Quercetanum

tanum, Gramannum, Hieronymum, Rubeum, Orum, Merlinum, Libavium, Wilhelmum, Setthagium, Mufettum, Calandam, Dormæum, Gebrum Mauritanum, Portam, Henricum Khunrad, Comitem Bernhardum, Riplæum, Zachariam, Theobaldum, Hoghelande, Hermetem, Hortulanum, Raymundum Lullium, Villanovanum, Zoroastrem, Robertum Vallensem, Nicolaum Mirandulanum Osthanem, Chanem, Rosinum Alexandrinum, Apuleium, Pelasium, Veradianum, Minosium BenZear, Ben Chamot, Ben Zofki, Rhodianum, Laurentium Venturam, Avicettam, Petrum Bonum Ferrariensem, Johannem Aurelium Augurellum, Schopfium &c: quemadmodum etiam amplius nos non latet quadatrura circuli πλεραγονισμὸς: nisi Jacobum Christmannum spernas, professorem Heidelbergensem Excellentissimum, ejusq; demonstrationes enervare satagas: frustra quidem hoc conantibus apud veteres Antiphone, Bryso, Hippocrate Chio, Euclide, Archimede, Apollonio, Porro; è recentioribus Boëtio, Campano, Cusano, Regiomontano,

Oroncio Finæo: ſed eadem de re Johanne Buteon, & Petro Ramo minimè negligendis Illa verò, illa inquam, quæ de libro vitæ profers, meræ ſpeculationes ſunt, & longè alias Salomonis lucubrationes, & diſputationes fuiſſe, quam tu depingis, huc u q; mihi imaginatus fui. Nam ſic cum nemine non exiſtimavi, Regem illum incomparabilem præter immenſas opes hanc quoq; ſapientiam & cognitionem adeptum eſſe, ut in herbarum notitia mirificè excelluerit, exacteq; diſſerverit non ſolùm de piſcibus, alitibus, & quadrupedibus, verùm etiam de arboribus, & ſtirpibus, à Cedro Libani usq; ad Hyſſopum, qui egreditur è pariete, hoc eſt, omnia maxima, minutiſsima perſpecta & explorata habuerit. O me nimis credulum? ſed quid faceres? Tyrannus potens eſt error communis, & jus facit. Unde fit, ut eorum, quæ ab illo approbata ſunt, intacta manere plurima videamus: quum enim ἀβασανίστως ea receperit, poſtea βασανίζεσθαι non permittit. Quanquam hac in parte verba ſua hiſtorica fide obligaverit, & quibus repugnare, non aliud eſſet, quā ſacras literas in

ras in dubium, revocare. Verùm, ne ne-
scias, non sufficit, Theosophiam, ubiq; in
ore circumferre, & vitia hominum fa-
cundissimè allatrare: cavendum est, ne
ipsi intercutibus vitiis madeamus: qua-
les profectò nec frugi, nec probæ operæ,
sed theorematibus tantùm nugalibus, &
puerilium isagogarum commentationi-
bus dilatrantes jam olim Epictetus Phi-
losophus justa, objurgatione incessivit.
Sed quis purus à peccatis est? Aut verisi-
mile est, mundum aliquando fore me-
liorem? Idcircò se Fratres nunquam
manifestabunt, sed in nos tragulam ha-
ctenus injicere adornarunt: quia, quod
tacent, ob peccata, & scelera nostra acci-
dit. Ad hoc majores nostri questi sunt
hoc nos querimur, hoc posteri nostri
querentur, eversos esse mores, regnare
nequitiam, in deterius res humanas, & in
omne nefas labi. Carendam ergo nobis
erit tam excellentibus artibus? Omni-
no: Nam sanctum canibus non est dan-
dum: idq; Phænicum, & Ægyptiorum
hieroglyphicæ literæ, id Pythagoræ æni-
gmata, id Prophetarum Paradigmata, id
Evangelicæ parabolæ clamitant. Nec a-
lia men-

lia mente fuit vel Paulus, qui inter perfectos duntaxat loquebatur sapientiam, vel hujus Discipulus Dionysius, qui Timotheum adjurationibus obtestatur, ne Hierarchiarum mysteria vulgò communicet. Sed jam jam meum restingui sentio desiderium Non enim φανταζόμεθα, nec volo nobiscum spiritu duntaxat sapere hoc est ἐνθουσιάζειν, & Phanaticus fieri, ut Francoforti videam, quid Romæ agatur. Platonicum Olympiodorum memini scribere, Tyanæum Apollonium vi, ac potestate sensuum cum in urbe ageret, tanquam de illustri specula, quæ in Ægypto fierent, prospectasse. Vos si talos estis, uti ais, das ihr über 100. Meilwegs was sehen könnet im Geist/ mirum est, si non & animalium sermonis gnari estis. Nam Porphyrius literis mandavit, Fum in amicorum cætu, cum audiret hirundinem aliis nunciare, Asinum propè urbem onustum cecidisse, triticumq; humi diffusum; declarasse audita: idq; ita fuisse compertum: quanquam Philostratus non hirundinem, sed passerculum fuisse tradidit, author, ex Cœlii Rhodigini sententia, omnium, qui unquam historias

ſtorias conſcribſerunt, mendaciſſimus. Conſimilem utiq; Nativitatem Fratres cum illo habuiſſe, & à Matribus in prato florido ſomno captis, cygnorum circumſtantium concentu, deinde ſpirande Favonio ſomno ſolutis ſine obſtetricis officio editos eſſe, haud diviculter crediderim Finem hîc imponere decreveram, niſi ſilentio præterire religioni habuiſſem Jureconſultorum de veſtra ſocietate judicium. Nam quisquis illicitum collegium uſurpaverit, ut Ulpiani verba ſunt, ea pæna tenetur, qua tenentur; qui hominibus armatis loca publica, vel templa occupaſſe judicati ſunt. Collegia verò, ut Marcianus inquit, ſi qua fuerint illicita, mandatis, & conſtitutionibus, & Senatus conſultis diſſolvuntur. In ſumma autem: niſi ex Senatus conſulti auctoritate, vel Cæſaris, collegium vel quodcunq; tale corpus coiërit: contra Senatus conſultum, & mandata, & conſtitutiones collegium celebrat. Ex his vides, collegia, ſive ſodalitates pro cujusq; placito habere conceſſum non eſſe, ſed permittente authoritate publica: ne ſub prætextu Fraternitatum res

tum res prohibitæ, & perniciosæ tractentur, & conjurationes exerceantur. Imò plus vides, collegia licita esse, quæ singulari concessione à legitimo magistratu approbata ostenduntur & contra ea illicita, quæ ejusmodi authoritate carent: tametsi aliàs omne, quod non est prohibitum, permissum intelligitur. Omnia proinde in genere prohibita, & illicita censebuntur collegia, nisi specialiter, & nominatim vel Principis, vel alterius Magistratus legitimi authoritate appareant, atq; probentur confirmata esse. Quo sensu iterum Ulpianus dixit, ad notitiam pertinere judicum, Principis, vel Senatus, num collectio, seu fraternitas ratione professionis, artis, vel causa sit licita

Hæc sunt, mi Florentine, quæ loco duplicæ ad te ἄνευ δόλου, καὶ ἀπάτης dirigenda esse duxi: tu si triplicaveris, & rationibus non superficialibus, seu desultoriis, sed invictis, & sufficientibus disputaveris: ad alteram tuam, sive secundam Epistolam victus manus dabo & arenâ cedam, inq; Angliam usq; progreqiar. Ubi si me tum persequi voles, alter tibi

adeundus

adeundus erit orbis. Quod si huc quoq; penetrabis, audio in ultima Britannia Orchadas esse Insulas. In has aufugiã, aut si quid est Orchadibus remotius, vel ad Antipodas usq;. Quanquam existimo, si in Angliam navigares, meq; Insula hac offenderes, te non mei solùm oblitum fore, sed ordinis quoq; tui, totiusq; tractus Norici, ob Nymphas Anglicanas divinis vultibus, blandas, faciles, & dignas quæ omnibus Rosis anteponantur. Quàs si tu gustasses semel, quam essent molliculæ, quam fragrantes, profectò cuperes non decennium solùm, ut Solon fecit, sed ad mortem usq; in Angliâ cum Erasmo peregrinari. Ita sis fœlix, & sint candida facta tua: Ita sit tibi cura mei, sit tibi cura tui.

Dabam Coloniæ 29. Novembris, Anno 1617.

1384-041